

phantasæ illatum obduci, omnia in ordinem redigi, eademque omnia ostentio ante à Propheta prænunciari? Dicant qui vacuum à præiudicio mentem habent, an hæc omnia naturæ ordinem non excedant? Quotus quisque est experitissimus Medicus, qui periodum morbi exactè ad eum indicat; tantumque sibi de arte sua polliceatur, ut ad præscriptum terminum valetudini restituendum ægrotum norit? An ille scire unquam poterit, ad quem fervoris gradum ascendere debeant humores, ut ne minimam quidem transgredi audeant, & quo deinde momento deservescant?

Bartholinus de morbis Biblic. cap. 13. in ea est sententiâ, morbum Nabuchodonosoris tetra melancholiæ humore inductum; quo deinde peccante humore per canales capillorum, pilorum, & unguium corporis excreto, valetudo Principi restituta. est. Eidem etiam dissipando humori plurimum contulisse pluvias & rorem, quibus sæpè perfundebatur, arbitratus est; nec modicum etiam contulerit, addo ego, sylvestrium herbarum aptus purgandis humoribus ventriculi laxando, accedente maxime frigore rigidioris aeris, cibus; norunt enim Medici purgamina omnia, quæcumque tandem fuerint, præsentissimum esse ad maniam pharmacum. Sed his etiam omnibus accedentibus, unus Deus poterat exactè momentum definire, quo post septennium morbus terminaretur; eoque tantum docente poterat hæc omnia Daniel prædixisse. Quare eâ saltem ratione prodigium aliquod eâ in re agnovisse cogimur.

Huic historiæ in dubium revocandæ silentium prophanorum Historicorum adducunt; sed frustra illi, postquam nostrâ ætate omnia Chaldæorum & historiæ Orientalis vetera monumenta intercederunt. Fac autem remanserit quantum satis fuisset, ut eius rei memoria servari posset: si apud illos frustra rem quæras, exactè ad eum apud Danielem Authorem coræum & oculatum rei testem descriptam, omnis exinde invidia non in Danielem creanda esset, sed in alios ejusdem regionis Authores, qui rem ad posteritatis memoriam literis consignare è re sua esse non duxerint. Porro in rebus historicis illa semper ceteris præferenda sunt, in quibus majores veritatis characteres apparent, minorique laborant sive corruptionis sive assentationis, sive doli suspicione. Daniel verò eas sibi doctes vindicat, non supra ceteros tantum, quorum fragmenta de historia ejus regionis supersunt, sed in ceteros etiam, qui rem literis consignare potuissent; illustri enim genere natus, amplissimus habebatur in universa regione vir, favore Regum Chaldæorum pollens; pius item, rebus, quæ scribebat, coræ vnas, monumenta proferens authentica, & publica, editum nempe Principis, quod totum rerum eventum describit. Præferat, si quis potest, æqualis meriti, ingenii, & dignitatis Historicum, res Nabuchodonosoris narrantem, qui prodigium illud silentio præferit, de cujus deinde autoritate suspicio in Danielem creabitur.

Verum nunquam id commisit altum divinæ providentiæ consilium, ut Sacra Historiæ eâ saltem in re Prophana refragaretur; namque in rarissimis hodie extantibus historiæ Chaldæicæ monumentis, unum servavit satis apertè hæc historiam insinuans. Alphæus apud Eusebium Præparat. l. 9. cap. ult. Megasthenem vetustum Chaldææ historicum laudat, referentem, Nabuchodonosorem post peractas expeditiones suas ad propria restitutum, divino subito cæstro abreptum exclamasse: *Babylonienfes, calamitatem vobis prædico, à qua nec Belus nostri Pater, nec Regina Babilonis poterunt prohibere. Mulus Persæ has regiones venturo tempore invadet, & Deorum nostrorum auxilio innixus, & Medorum viribus auctus, vos omnes in servitutem rediget.* Hæc de Cyro è Persâ patre & Medâ matre nato interpretanda sunt. Post hæc dicta, ait Historicus, Nabuchodonosor evanuit. Porro cæstrum illud nihil est aliud, quam primus morbi accessus, quo actus Nabuchodonosor in bovem transisse se ratus, è cæstrum hominum toto septennio sese interdixit.

Quò autem nostræ hypothese extrema manus imponatur, modò sententiæ omnes illi oppositè refutandæ sunt. Origenis idea, totam hæc historiam ad allegoriam revocantis, nihil haberet satis novum, quod in viro allegoriarum studiosissimo admiraremur, nisi rei veritatem negasse ille videretur. Nihil planè tam repugnat ideæ figurarum & allegoriæ, quam historia tam exactè à Propheta narrata, semel, iterum, & tertio inculcata, in somni interpretatione à Propheta anno antea prædicta, ac tandem datâ celitus voce altè Regi denunciata. Profectò si hæc ad allegoriam detorquenda sunt, ubi veritas & historia?

Si quis autem inditam Nabuchodonosori figuram bovis vel alterius belluæ contenderit, immutatâ etiam in brutum hominis animâ, ille certè nullâ necessitate coactus prodigia prodigiis cumulabit. Neque enim Propheta textus eò nos cogit, ut credamus, quod vix fieri posse concipimus. Porro illud axiomatis loco habendum est, ne adjectâ prodigiorum farsinâ delicatas mollesque incredulorum mentes opprimamus. Major est profectò Dei sapientia, quam ut miracula Omnipotentis suæ frustra prodigere credatur. Nonne suo ipse consilio repugnasset, si reo Nabuchodonosori alterum substituisset, ut ejus loco factus illius poenas subiret? Tunc planè eius forti impius quicumque invideret, si sceleribus suis expiandis sperare tandem posset, ut stupiditatem bruti indueret; istâ enim levissimâ toleratâ poenâ munda sibi esse omnia, in pristinum tandem statum restitutus, consideret. Ipse tandem Nabuchodonosor hypothese illam evertit; ait enim, se crimen tandem suum novisse, sublatiisque in Celum oculis, id tandem à Deo impetrasse, ut in pristinum conditionem restitueretur (u).

Æquiora multò sensisse videntur quicumque nihil immutatum in anima aut manes, totam metamorphosin in extima cor-

u Dan. 4. 31.  
32.

poris superficie agnoscunt; quemadmodum de Actæone in cervum translato, de Iphigenia in anguem, de Lycaone in lupum memoria proditum est. Equiores, inquam, illi; aptum est enim hominis corpus, ut in varias formas transmutetur. Insignis Physionomus indicanda sibi in ore cujusque hominis suscepit lineamenta quadam brutorum, è quibus mores quosdam in singulis hominibus designari credit, à bruto, cujus lineamenta præferunt, non abhorrentes. Hic Lupi ferocitate, hic Leonis, hic Ursi, iste calliditate Vulpis, ille voracitate Porci distinguitur; quòd scilicet singulorum illorum animalium singuli lineamenta præferant. Huic opinioni favere aliquantum Sacer Textus videtur; respiciens enim Nabuchodonosor, post impetratam criminum à Deo veniam, ait: *Figura mea reversa est ad me.* Verum ut plenus his verbis sensus constet, an fortè bovis figura Principi inducenda est? Satis est profectò, si errantis phantasæ iudicio ipse sibi bovem induisse, cujus etiam indolem adoptaverit, visus, errore demum correcto detractam opinionem suâ hominis formam veluti sibi restituerit, affectatos bovis mores negligens, hominisque cultum, quem antea desituerat, resumens.

Metempsychosis juxta Pythagoreorum opinionem, non nisi post decessum inducitur. Nec enim anima vivum corpus deserebat, ut alteri locum faceret. Erat quidem Doctoribus Judæis familiaris opinio, animam quandoque in corpus animalium descendere, ut proinde quæ illic manerent animæ contubernales: sed genus est Metempsychosis totî antiquitati ignotum, cujus exemplum in Nabuchodonosore exhibitum non credimus. Nec me latet, Philosophos quosdam in ea fuisse sententiâ, vel saltem aliorum imputatione sensisse, aut ferè aut saltem errandi pruritu, accusati sunt, animas è corporis habitaculo egressas, liberis discurrere aliquando, vetustique deinde contubernium repetere. Lepidas sanè in ea re narrant historiolas, contigisse scilicet, ut animæ pruritu vagandi longius excurrentes, cum non satis maturè ad corpus regredi potuissent, post longiorem protractam moram venientes, corpora comperissent sive in pyra absumpta, vel in sepulchro condita, veluti machinas quasdam inertes & vitali quodam motu igneque destitutas. Addunt de quibusdam mulierculis veneficis in Dania, quas viri creduli pretio conducebant, ut gesta in regionibus remotissimis discerent;

quorum illæ votis auditis statim, ad ea loca animas legabant, brevè redituras vel ex locis 300. leucarum intercapedine distitis. Cum tamen fabellis istis nec Philosophi præstantiores, nec Theologi satis delectentur, præstat, ut metamorphosi Nabuchodonosoris explicandæ alteram planè rationem ineamus.

Quod tandem ad illorum sententiam spectat, totam illam metamorphosin constituentem in præstigio, quo oculi Regem intuentium tenerentur, adjectâ facillè in mente Principis impressione quadam, illis non dissimili, quibus ab Incantatoribus fascinati in equos se vel asinos translatos, & ad sarcinas vehendas coactos, immoti licet, opinantur; quod, inquam, ad hanc sententiam spectat, partem tantum difficultatis, vel, si mavis, nihil ab illa subductum querimus. Si enim bruti speciem induisse Nabuchodonosorem dixerimus; nulla erat fascinationis in oculis intuentium necessitas. Nec sanè major fuisset, si turbata phantasæ ludibrio novam sibi formam Rex opinione tantum suâ induxisset: five enim, recta de illo adstantes opinarentur, five non, semper tamen ille persuasioni suæ inhæsit, bovem se esse arbitratus. Tandem si salva fuissent omnia, five in corpore five in humoribus ejusdem Principis, fateor ego quidem, potuisse Dæmonem ita fascinare intuentium oculos, ut bovem se cernere arbitrarentur; non tamen satis assequi possum, cur Rex ex aula facessere, & belluinam vitam toto septennio agere, solis, hyemis, ceterisque aeris vicissitudinibus expositus, maluisset; eodemque deinde termino evoluto, protensis in Celum manibus pristinum vitæ habitum resumpsisset, ac Babylonis sese exhibens Regno restitueretur.

Si quis verò contenderit, mutuâ fascinatione Regem & populum ita detentos fuisse, ut alter se in taurum transformatum crederet, hi verò paria de ipso sentirent; ægrè fateor in animum inducerem, longâ ad eum fascinatione & populum universum & Regem teneri potuisse. 2. Ne leve quidem eâ de re vestigium in Sacra Scriptura, ubi nulla de malis Spiritibus mentio; totum enim Divinæ potentia accepto referatur; potentia, inquam, tumidos & factos homines in ordinem redigentis, in impios condignâ ultione animadvertentis. Hæc ego omnia sine fascinatione, sine inducâ metamorphosi sive metempsychosi, solâ vi morbi exponenda suscepi, quod proinde systema tanquam maxime simplex ceteris præferendum visum est.